

»latum aliquid, sed ut regulam. Sic ergo in proposito recte potest »intelligi naturam fidei esse talem, ut ex se habeat ordinem, et ad »ea, quae sunt extrinsece revelata (v. g. mysterium Incarnationis) »et ad ipsam etiam revelationem: sic ut non solum in revelata possit »ferri tamquam in objectum; sed etiam in ipsam revelationem, qua »similiter fulciatur et sustentetur, ac proinde ut ipsa revelatio non »modo sit objectum *quod*, sed etiam exercent munus objecti *quo*, »sive rationis formalis *sub qua* objecti, respectu sui ipsius.»

Resp. 2.<sup>o</sup> Cum Suario et eodem Valentia dist. *antec.* Requiritur alia revelatio, si Deus revelando Incarnationem, simul non revelaret se illam revelare; conc. Si id exercite et implicite revelat; neg. (1). Tunc enim mens exercite et implicite attingit auctoritatem Dei revelantis, in qua intra lineam fidei sistere potest ac debet (n. 49, not. III, IV, V.)

Inst. 1.<sup>o</sup> Si aspicio Petrum dormientem, per hoc praecise mihi non dicit: «ego dormio.» Ergo similiter revelatio de Incarnatione a Deo facta homini, ei nullo modo dicit: «ego sum revelatio divina.» Ergo non potest fide divina credi propter revelationem exercitam et implicitam.

Resp. Neg. *conseq.* et paritatem; nam revelatio divina Incarnationis est signum externum a Deo productum ex intentione nobis loquendi et nos obligandi ad credendum ipsum nobis manifestare Incarnationem, adeoque ipsam nobis testari; secus Petri dormitio, ejusve species in meos oculos immissae.

Inst. 2.<sup>o</sup> Non potest quis judicare hominem esse risibilem, quia est risibilis. Ergo nec Deum esse veracem, quia est verax, sive revelatione exercita, sive signata.

Resp. Conc. *antec.* dist. *conseq.* Si quia *verax* sumatur eodem modo ac *est verax*; conc. Si diverso; neg. Nam aliter potest sumi ut habet rationem motivi, aliter ut habet rationem objecti materialis sive *signate* ut in revelatione signata veracitatis Dei, sive *exercite*

(1) P. Casajona. (Vol. I. Disq. II, nn. 68-71) dum fatetur (n. 70) se non dissentire a Suario simul negat exercitam et implicitam revelationem esse proprie loquutionem Dei, et docet assensum, quo adhaeremus auctoritati divinae non esse actum fidei credendi sicut sunt actus, quibus explicite aliquod fidei dictum v. g. Incarnationem credimus; quo loquendi modo facilius circulum vitiosum propulsat: verum cum ante haec (nn. 68, 69), non satis clare dicat, quomodo lumen fidei attingat ultimo auctoritatem Dei, an roborando ejusdem auctoritatis cognitionem naturalem, quod esset dissimulare Lugonis sententiam; an ipsa fide non in actu signato, sed exercito, qui dicendus esset juxta ipsum: «simplex suasiva apprehensio vel assensus divinae auctoritatis in actu credentis »implicitus,» ita ut solum verbis differret a Suario, hujus loquendi modum praefero.

ut in revelatione exercita ejusdem veracitatis in quacumque revelatione mysterii cujuslibet.

Inst. 3.<sup>o</sup> Non credimus Deum esse omnipotentem, quia est omnipotens: Ergo neque esse veracem, quia est verax.

Resp. Neg. *conseq.* Disparitas in eo est, quod omnipotentia non sit unum ex principiis formalibus fidei, in quae fides debet ferri immediate, nec aliquid implicite et virtualiter revelatum per quamlibet revelationem, sicut est veracitas.

Obj. 2.<sup>o</sup> Omnis assensus mediatus, qualis est assensus fidei, nempe propter aliud non propter se, debet ultimo resolvi in aliquam veritatem per se notam. Sed veracitas Dei lumine fidei, seu melius fide credita et non visa, non est veritas per se nota. Ergo...

Resp. Dist. *maj.* Debet ultimo resolvi in veritatem per se notam i. e. evidentem ex terminis; neg. Per se notam i. e. talem, cui immediate assentiamur propter se ipsam, sive sit evidens sive non; conc. Ad *min.* Veracitas Dei fide credita non est per se nota evidenter; conc. Non est per se nota, ut in ipsa non possit mens sistere; neg. Assensus fidei, quo dico: «Verbum est incarnatum,» ultimo resolvitur in hanc propositionem: «prima veritas revelavit mysterium Incarnationis,» quae solum est per se nota posteriori sensu, quatenus nempe prima veritas revelans quodvis mysterium, creditur propter se ut virtualiter supra se reflectens, ibi sistendo.

Inst. 1.<sup>o</sup> Non potest intellectus certo assentiri ulli veritati immediate et praecise propter se ipsam, nisi sit per se seu ex terminis evidens. Ergo...

Resp. Dist. *antec.* Quando ad assensum determinatur tum quoad actus exercitum tum quoad intensitatem adhaesionis pure ab objecto; conc. Quando praesupposita evidentiâ motivorum credibilitatis, ut evenit in fide, mens determinatur a voluntate a Deo specialiter adjuta, ut pro dignitate objectiva auctoritatis Dei revelantis ejus dictis assentiatur; neg. Tunc enim voluntas prudenter imperat assensum immediatum super omnia certum, et intellectus praevio prudenti judicio de objecti credibilitate, propter infallibile Dei testimonium ad talem assensum facile movetur a voluntate, cujus affectum in rebus obscuris saepe sequitur, ut experientia demonstrat in relatione novorum factorum, quae varii pro affectuum varietate varie credunt (1). Motiva credibilitatis tibi aperiunt aliquod dictum v. g. Incarnationem, esse dictum Dei revelantis similiter ac ille bibliopola de quo in not. III (n. 49) doctori theologo significavit librum ab ipso inventum esse S. Augustini.

(1) Vid. Suar. de fid. D. 3, sect. 12, n. 12.

Inst. 2.<sup>o</sup> Hac posita explicatione non erit necessarium credere propter auctoritatem Dei. Ergo... *Antec.* prob. Nam per speciale Dei auxilium poterit intellectus a voluntate determinari ad assentiendum immediate ipsi mysterio revelato; quamvis de se obscuro. Ergo...

Resp. Neg. *antec.* Ad probat. trans. *antec.*; neg. *conseq.* Quia talis assensus non esset fidei, quae essentialiter nititur Dei testimonio ut motivo formali.

Obj. 3.<sup>o</sup> Ratio assentiendi debet esse notior objecto materiali. Sed in nostra sententia non esset notior cum eadem fide, etc. Ergo...

Resp. Dist. *maj.* Debet esse notior i. e. clarius aut certius nota; neg. Aliquo modo prius nota et magis immediate et per se; conc. Ratio est, quia ad assensum fidei non determinatur intellectus pure ab objecto ut in evidentibus naturalibus, sed a pia motione voluntatis ejusque prudenti et efficaci imperio nihil attendendo ad evidentiam, sed ad solam certitudinem, quae hic in summo gradu habetur ex necessaria connexionem objecti formalis cum materiali, licet utrumque sit aequae obscurum.

Obj. 4.<sup>o</sup> Voluntas nequit efficaciter imperare intellectui, ut immediate assentiatur huic objecto: «arenae maris sunt pares numero.» etiam solum opinative; quia non magis apparent esse numero pares quam impares. Ergo multo minus imperare poterit assensum hujus veritatis: «revelatio Incarnationis existit.» cum de se non magis appareat esse quam non esse.

Resp. Conc. *antec.*; neg. *conseq.* et paritatem, quia dantur motiva evidentiā credibilitatis hujus propositionis: «revelatio Incarnationis existit.» quibus suppositis potest voluntas prudenter imperare assensum et intellectus ei obedire: nulla vero dantur motiva sive evidentiā sive inevidentiā ad judicandam probabilitatem propositionis objectae: «arenae maris sunt pares.» Hinc objectum formale potest dici, si non simpliciter, secundum quid saltem, notius materiali, non quidem per assensum fidei, sed per judicia ad illud praevidentia quatenus nempe propositio Ecclesiae et motiva credibilitatis directius et immediatius illud afficiunt, cum per se primo tendant ad persuadendam existentiam loquutionis Dei summe veracis et obligationem ei ita assentiendi, ut propter illam cum summa certitudine assentiamur objecto revelato.

Jam omnia usque huc dicta veluti in compendium redigendo, colligitur cum Platelli (1): a) Rationem fundamentalem nostrae sententiae in eo esse positam, quod tanta sit eminentia divi-

(1) Synop. De fide, n. 29.

nae auctoritatis, ut posito quod nobis per Ecclesiam et motiva credibilitatis, aliquid proponatur ut a Deo testificatum, voluntas nostra prudenter possit ac debeat applicare intellectum ad assentiendum objecto propter Dei testimonium et Dei testimonio prae-cise propter se assensu super omnia certo. b) Habitum fidei differre ad habitum scientiae in eo quod hic directe solum eliciat assensum conclusionum, non principiorum; ille autem ratione eminentiae auctoritatis divinae ad omne revelabile se protendentis, possit et quidem directe elicere assensum, etiam de iis, quae se habent ad instar principiorum; nempe de auctoritate et revelatione, sic ut revelata solum indirecte attingantur v. g. dicendo: «credo primam »veritatem revelantem mysterium Incarnationis,» quod etiam verum est, licet revelatio et auctoritas non sint revelatae formaliter et explicite.

#### THESIS VII.

Propositio Ecclesiae: a) Habentis auctoritatem humanam est ordinarie ad omnem fidei assensum necessaria illius tamen formale objectum non ingreditur. b) Habentis auctoritatem divinam materialiter et quoad nos integrat objectum formale, non autem absolute et secundum se.

53. Nota. Duplex est Ecclesiae auctoritas; una humana, altera divina. Prior fundatur in doctrina ac sanctitate sapientissimorum et sanctorum virorum, quibus semper abundavit Ecclesia, et in aliis verae Ecclesiae notis ac motivis credibilitatis ejus doctrinam certo tenendam demonstrantibus (1); altera divina fundatur in speciali Dei assistentia ei promissa ne in docendo erret (2). In prima theseos parte agitur de auctoritate humana, addimus ordinarie, quia non apparet impossibile propositionem seu applicationem objecti formalis fidei fieri per Angelum sufficienter ad eliciendum assensum fidei, qui sit ejusdem speciei cum eo, qui procedit ex eodem objecto per Ecclesiam proposito, cum actus a solo objecto formali, non ab ejus applicatione seu propositione specificetur. In secunda parte, quae respondet auctoritati divinae, dicimus *materialiter et quoad nos*; nam Ecclesia est quidem infallibilis regula nostrae fidei, hoc tamen habet in quantum est veluti organum seu instrumentum Spiritus sancti ad nobiscum colloquendum, et ideo non potest ipsa formaliter esse ratio formalis credendi, sed tantum

(1) Vol. I. Disq. III. Thes. IX, X, XV, XVI.—(2) Ibid. Thes. XI-XIV.

materialiter, quia in instrumento tota ratio et virtus agendi est ex motione principalis agentis. Additur quoad nos, quia resolutio fidei secundum se considerata non potest fieri ultimo in Ecclesiam, sicut ultima resolutio actionis non fit in instrumentum motum a principali agente, sed in ipsum principale agens. Continet haec pars assertiones duas; prima est, auctoritatem divinam Ecclesiae esse aliquo modo objectum formale fidei quoad nos; secunda est, non esse objectum formale absolute et secundum se.

Prima pars est communis theologorum contra aliquos antiquos, prima assertio secundae partis est nobis probabilior, ut magis Ecclesiae auctoritas divina commendetur contra plures volentes Ecclesiam solum esse regulam fidei seu ejus applicationem. Secunda assertio hujus partis est communis et vera contra paucos.

54. I.<sup>a</sup> Pars. a) Prob. 1.<sup>o</sup> Verbis Christi D. ad Petrum (1): *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est.* Apostoli ad Galatas (2): *Notum enim vobis facio, fratres, evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Ipsius ad Thesalonicensis (3): *Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei.* Sed his testimoniis sacris excluditur a motivo fidei omnis auctoritas humana. Ergo et humana Ecclesiae.

2.<sup>o</sup> Ex Patribus. S. Augustinus (4): «Credimus non hominibus, sed ipsi Deo animam nostram firmanti.»

3.<sup>o</sup> Ratione: a) Humana Ecclesiae auctoritas non est metaphysice infallibilis, sed solum moraliter. Atqui auctoritas moraliter solum infallibilis non potest fundare assensum fidei super omnia certum. Ergo... b) Fidelis debet vi sui actus fidei, esse paratus ad rejiciendum ut haeticum quemcumque infra Deum oppositum affirmantem, juxta illud Apostoli ad Galatas (5): *Sed licet nos aut angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Ergo nulla auctoritas humana, etc.

II.<sup>a</sup> Pars. b) quoad primam assertionem prob. 1.<sup>o</sup> Deus ut nobis loquens seu revelans est objectum fidei formale. Sed per Ecclesiam divina auctoritate res fidei proponentem et infallibiliter definientem tamquam per organum nobiscum loquitur Deus et fidem docet. Ergo propositio Ecclesiae sua utentis auctoritate divina pertinet suo modo ad objectum formale fidei.

2.<sup>o</sup> Moraliter loquendo non magis est verbum Dei, quod ipse im-

(1) Matth. XVI, 17. — (2) I, 11, 12. — (3) I.<sup>a</sup> II, 13. — (4) *L. contr. epist. fundament.* — (5) I, 8.

mediate dicit, aut dictat faciendum, quam quod ipso specialiter dirigente et approbante, ut verum et ut sua auctoritate confirmatum alius dicit, et quidem ea intentione ut credatur tamquam verbum Dei. Atqui hoc pacto, ut ex modo et fine definitionum fidei patet, Ecclesia res fidei proponit cum sua divina auctoritate controversias definit. Ergo...

Quoad secundam assertionem prob. 1.<sup>o</sup> Quia in sacra Scriptura ultima resolutio fidei semper in Deum fit, dum ait fideles credere Deo et suscipere verbum fidei, *ut vere est verbum Dei.*

2.<sup>o</sup> Patet faciendo ipsam resolutionem; nam licet credamus Ecclesiae definienti, si interrogemur, cur illi credamus, respondebimus: quia habet infallibilem assistentiam Spiritus sancti. Si iterum interrogemur, cur hoc credamus, respondebimus; quia Deus revelavit, cui credimus propter auctoritatem suam, non propter Ecclesiae auctoritatem, licet illa nobis proponat ipsam Dei revelationem.

55. Obj. 1.<sup>o</sup> S. Augustinus (1) dicit: «Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae catholicae commoveret auctoritas.» Sed in his verbis agit Augustinus de auctoritate humana Ecclesiae; comparat enim illam auctoritati divinae Evangelii a qua auctoritatem Ecclesiae, ut motivum amplectendi Evangelium, ac proinde humanam discernit. Ergo juxta Augustinum, etc.

Resp. 1.<sup>o</sup> Cum Suario neg. *min.* Augustinus agit de assensu in fidem prout ab Ecclesia divinitus propositam, unde sensum *majoris* explico distinctione: Non crederem nisi Ecclesiae commoveret auctoritas, ut est organum verbi Dei; conc. Ut in sua evidenti credibilitate mens quiescat ultimo et formaliter; neg.

Resp. 2.<sup>o</sup> Melius cum aliis conc. *min.* Testimonium S. Augustini ita declaro, non crederem, nisi commoveret auctoritas humana Ecclesiae tamquam motivum formale intrinsecum; neg. Tamquam conditio sine qua auctoritatem divinam loquentem non perciperem; conc.

Obj. 2.<sup>o</sup> Fideles rationem fidei suae reddentes sistunt in propositione Ecclesiae. Ergo Ecclesia saltem pro vulgo fidelium, etc.

Resp. Dist. *antec.* Sistunt in propositione Ecclesiae ut habentis auctoritatem divinam, quam in Ecclesia quasi sensibiliter apprehendunt et in quam ultimo implicite et exercite resolvunt suam fidem; conc. Ut habentis auctoritatem humanam; neg. vel subdist. Tamquam in conditione sine qua non crederent; conc. Tamquam in motivo propter quod credant; neg. Etenim simpliciores etiam fideles satis sciunt credendum esse propter solam auctoritatem Dei revelantis, ut in ipso credendi exercitio saltem confuse et implicite in ea sistant, tamquam in ultimo motivo formali.

(1) *L. contr. epist. fundam. c. 5.*

Obj. 3.<sup>o</sup> Contra secundam partem. Ecclesia non accipit novas revelationes a Deo. Ergo ejus propositiones seu definitiones etiam ut habentis auctoritatem divinam non sunt loquutio divina.

Resp. Dist. *antec.* Stricte et rigore et quoad res novas; conc. Minus stricte et ad declarandas res revelatas; neg. Definitiones enim Ecclesiae sunt: a) De rebus ante revelatis, sed revelatione adeo confusa et implicita, ut ante Ecclesiae definitionem non inducat obligationem credendi. b) Essentialiter supponunt aliam Dei revelationem in qua confusa continentur, nempe de assistentia praestanda Ecclesiae ne erret.

Obj. 4.<sup>o</sup> Jus ecclesiasticum, quamvis conditum ab Ecclesia cum assistentia divina, ne leges ferendo circa bonos mores erret, non est jus divinum: ergo similiter propositio aut definitio Ecclesiae, etiam ut habentis auctoritatem divinam, non est loquutio divina.

Resp. Neg. *conseq.* Disparitas in eo est posita, quod Deus dederit Ecclesiae potestatem condendi novas leges et quidem proprio nomine, ut bonum ejus regimen exigebat; non autem ei dederit potestatem faciendi novas revelationes, sed solum antea factas explicandi et declarandi (1).

#### SCHOLION I.

##### *An ad fidem sufficiat revelatio privata.*

**Dico:** Revelatio privata sufficienter proposita satis est ad assensum fidei eliciendum ejusdem speciei cum aliis assensibus fidei catholicae.

56. **Nota.** Fides catholica si ex parte materiae, quae creditur, inspicitur, illa est doctrina, quae toti Ecclesiae universali credenda proponitur. Hoc sensu dixit Vaticanum (2): «Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemnii iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.» Si vero consideratur ex parte eorum, qui credunt, significat habitum illum vel actus, quibus sicut oportet ad salutem propositae doctrinae adhaerent. Revelatio privata, quae fundat fidem simpliciter theologiam seu divinam, illa dicitur quae fit personae privatae, nec proponitur ab Ecclesia ut ab omnibus tenenda. Fides igitur simpliciter theologica universalior est fide catholica: nam ex parte materiae continet quidquid a Deo revelatum fuerit etiamsi ad communem Ecclesiae doctrinam non pertineat, similiter ex parte credentium seu actuum et habitus significat credulitatem propter auctoritatem Dei testificantis in quamcumque materia et quocumque modo. Assertio est contra aliquos restringentes objectum formale fidei ad primam Veritatem docen-

(1) Conf. Suar. De fid., D. 3, sect. 10.—(2) De fid. cathol., c. 3.

tem homines per Ecclesiam, Apostolos, Prophetas et Scripturas (1).

Prob. 1.<sup>o</sup> Sacris litteris, ubi Paulus laudat Saram ob fidem praestitam revelationi privatae de filio habendo (2): *Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam praeter tempus aetatis, quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat.* Zacharias punitur, quia noluit revelationi privatae credere (3). *Et ecce eris tacens, et non poteris loqui, usque in diem, quo haec fiant, pro eo, quod non credidisti verbis meis, quae implebuntur in tempore suo.* Ex quibus et aliis testimoniis, quae allegari possent, satis constat, Deum non aliam nec minorem velle adhiberi fidem revelationi privatae quam communi.

2.<sup>o</sup> Concil. Tridentinum dum definit (4): «Si quis... perseverantiae donum se certo habiturum absoluta, et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit; anathema sit:» supponit revelationem privatam posse dari, et sufficientem esse ad gignendum assensum fidei propriae perseverantiae. Leo X in concil. Lateranensi V (5) edidit decretalem super modum praedicandi verbum Dei, quae dum prohibet asserere: «Tempus quoque praefixum (ex Scriptura) futurorum malorum, vel Antichristi adventum, aut certum diem iudicii praedicare, etc.» ad rem nostram habet: «Caeterum si quibusdam eorum Dominus futura quaedam in Dei Ecclesia inspiratione quapiam revelaverit, ut per Amos prophetam ipse promittit, et Paulus apostolus inquit: *Prophetiam nolite spernere...* hos aliorum fabulosorum, et mendacium gregi connumerari, vel aliter impediri minime volumus. Et quoniam res magni momenti est, eo quod non de facili credendum sit omni spiritui, sed sit probandus Spiritus an ex Deo proveniat, volumus ut lege ordinaria tales assertae inspirationes, antequam publicentur aut populo praedicentur, ex nunc Apostolicae Sedis examini reservatae intelligantur.» Ergo in Ecclesia dantur aliquando revelationes privatae, quae non sunt rejiciendae, sed probandae an sint Deo auctore.

3.<sup>o</sup> Assensus ortus ex revelatione privata sufficienter proposita est: a) ex eodem motivo formali, quo est fides catholica, scilicet ex auctoritate Dei revelantis; b) ex eadem obligatione captivandi intellectum in obsequium fidei; c) est tandem sicut catholica supernaturalis, et pertinet ad eam fidem, quae est fundamentum iustitiae, ut patet ex Paulo ad Hebraeos (6), qui tamquam exempla fidei, qua antiqui Patriarchae Deo placuerunt exhibet fidem datam privatis revelationibus. Confirm. Angeli, Adamus, Abraham et alii eadem ac nos fidei iustificati sunt. Atqui non per aliquam Ecclesiam, sed privatim revelationes Dei acceperunt. Ergo...

**Corollarium.** Ergo ad assentiendum fidei revelationi privatae non opus est alio habitu ab habitu fidei catholicae, cum hic sub suo et identico objecto formali perfecte objectum materiale seu dictum revelationis privatae, v. g. Paulus salvabitur, complectatur, non minus ac continet plura et diversa mysteria fidei v. g. SS. Trinitatis, Incarnationis, Iudicii universalis, etc.

(1) Vid. Valentiam tom. 3, q. 1, p. 1.—(2) Hebrae. XI, 11.—(3) Lu c. 1, 20.—(4) Sess. 6, can. 16.—(5) Sess. 11.—(6) XI.

57. De obligatione credendi privatas revelationes nota, eas posse comparari vel ad ipsum accipientem revelationem, vel ad alios: si primum fit, communiter respondetur, illum obligari ad credendum, et confirmari potest exemplo Zachariae (n. 56, prob. 1.<sup>o</sup>) supra adducto; si secundum, doctrina communis est, alios fideles non teneri ordinarie ad fidem adhibendam his privatis revelationibus, quia ordinarie non sufficienter illis proponuntur, nec Ecclesia plerumque aliter approbat quam negative, i. e. quatenus nihil continent adversus fidem et bonos mores. Non tamen hujusmodi revelationes, ut docuit Leo X absolute et indiscriminatim sunt contemnendae, sed juxta regulas pro dignoscendis veris miraculis (1), (est enim quoddam miraculum privata revelatio) in incude rationis et Ecclesiae fidei tundendae sunt, ut inde appareat an prudenter admittendae sint, vel prudenter rejiciendae, an suspendendum judicium. Hoc denique certum videtur, non obligari alios a recipiente revelationem privatam, huic positive credere, sed sufficit ut se habeant negative, ei non contradicendo, nisi manifesta esset in contrarium Dei voluntas.

## SCHOLION II.

*An evidentiā rei creditae excludat ipsius fidem.*

58. **Nota.** Sermo est de objecto materiali fidei v. g. existentia Dei, veracitate Dei, aliisque hujusmodi veritatibus, quae ex naturali demonstratione possunt fieri et esse alicui evidentes. et quaeritur an qui habeat evidentiā de his possit de ipsis habere fidem sive disjunctim seu successive cum actu scientiae non exercet; sive conjunctim et simul cum actu evidentiāe.

D. Thomas respondet negative (2), ad resolvendam quaestionem praesupponit (3): «Fides importat assensum intellectus ad id quod creditur. Assentit autem intellectus alicui dupliciter: uno modo quia ad hoc movetur ab ipso objecto, quod est vel per se ipsum cognitum, sicut patet in principiis primis... vel per aliud cognitum sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ad objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntarie declinans in unam partem magis quam in aliam; et si quidem hoc sit cum dubitatione et formidine alterius partis, erit opinio; si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit fides. Illa autem videri dicuntur quae per se ipsa movent intellectum nostrum vel sensum ad sui cognitionem. Unde manifestum est quod nec fides nec opinio potest esse de ipsis visis aut secundum sensum, aut secundum intellectum.» Deinde probat (4):

1.<sup>o</sup> «Gregorius (5) dicit, quod «apparentia non habeant fidem, sed agnitionem.» Ea ergo de quibus est fides, agnitionem

(1) Vol. I. Disq. II. Thes. XVII.—(2) 2, 2, Q. 1, aa. IV, V.—(3) Ibid. ex art. IV.—(4) Ibid. a. V.—(5) *Homil. 26*, in *Evang. a med.*

non habent. Sed ea, quae sunt scita, agnitionem habent. Ergo de eis, quae sunt scita, non potest esse fides.»

2.<sup>o</sup> «Omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota, et per consequens visa; et ideo oportet quaecumque sunt scita, aliquo modo esse visa. Non autem est possibile quod idem ab eodem sit visum et creditum, sicut supra dictum est. Unde etiam impossibile est quod ab eodem idem sit scitum et creditum.»

«Potest tamen contingere, observat statim Angelicus, ut id quod est visum vel scitum ab uno, sit creditum ab alio. Etenim quae de Trinitate credimus, nos visuros speramus, secundum illud (1): *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem*, quam quidem visionem jam Angeli habent; unde quod nos credimus illi vident. Et sic similiter potest contingere ut id quod est visum vel scitum ab uno homine, etiam in statu viae, sit ab alio creditum, qui hoc demonstrative non novit.»

59. Haec D. Thomae sententia si cum paucis, ut De Lugo (2), non benigne interpretatur plurimis theologorum adeo difficilis visa est, ut major pars in contrariam sententiam abierit. Communior igitur doctrina in hac re exhibetur sequenti enuntiatione:

Evidentiā rei creditae non excludit in eodem subjecto actum fidei circa ipsam, sive cum actu res non apparet evidens, sive cum actu evidens apparet.

1.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Concil. Vaticanum (3) docet: «divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae, in rebus divinis. humanae rationi per se impervia non sunt, (ut sunt v. g. existentia Dei, unitas Dei, etc.) in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore, cognosci possint.» Et declarat: «fide divina et catholica ea omnia credenda... quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur.» Ergo cum in verbo Dei contineantur ut veritates credendae Dei existentia et aliae veritates per se humanae rationi non imperviae, hae quoque ab omnibus credendae sunt sive rudibus sive sapientibus. Sed sapientes non possent has veritates credere si saltem avertendo mentem ab evidentiā rei creditae, non valerent assensum fidei illis praebere. Ergo... Idem conficitur ex Tridentino (4) dum de dispositione necessaria ad justificationem tam pro docto quam pro indocto docet scriptum fuisse a Paulo (Hebraeae. XI, 6): *Accedentem ad Deum*, etc. Sed de existentia Dei potest haberi naturalis evidentiā. Ergo...

2.<sup>o</sup> Apostolus in loco ad Hebraeos nuperrime citato agit de fide ad justificationem necessaria, cum de illa fide loquatur

(1) I.<sup>a</sup> Cor. XII, 12.—(2) De fide, D. 2, n. 59, ubi ex 2, 2, Q. 5, a. 1 infert, forte D. Thomam solum velle repugnare fidem cum scientia perfecta, qualis habetur in patria, non cum naturali, qualis fuit in Angelis simul cum fide, nec cum nostra naturali de qua (ibid. ad 2) dicit, habere obscuritatem, et tenebras sufficientes ad obscuritatem fidei salvandam.—(3) De fide, c. 2, c. 3—(4) Sess. 6, cap. 6.

*sine qua impossibile est placere Deo*, ut ipse ait Apostolus et testatur Tridentinum supra. Sed proponit ut credendam existentiam Dei, quae evidenter cognosci potest et a pluribus de facto evidenter cognoscitur. Ergo...

3.<sup>o</sup> Probatur ex Patribus, quia dum exponunt ea, quae credenda sunt nunquam ita distinguunt articulos fidei ut alii doctis, alii indoctis tantum conveniant. Ecclesia symbolum omnibus proponit et ab omnibus dicendo *credo* recitandum vult. Sed in Symbolo est articulus de existentia Dei, quae evidenter a plurimis cognoscitur. Ergo...

4.<sup>o</sup> Unum idemque objectum materiale (res credita) potest secundum multiplex motivum cognosci, v. g. per demonstrationem, per auctoritatem divinam, humanam, etc. Sed non repugnat eundem hominem cum saltem ex uno motivo non movetur, ex altero ad assensum ejusdem objecti moveri. Ergo saltem cum res credita non appareat evidens poterit de ipsa fidem haberi.

II.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Ut infra probandum est, fides de Dei existentia est necessaria ad salutem. Atqui multis sapientibus adeo est habitualiter evidenter nota, ut non possint de ea cogitare quin statim ejus evidentiam noscant et quasi persentiant. Ergo vel illis dicenda moraliter impossibilis justificatio, vel admittendum assensum evidentem alicujus rei creditae non excludere ipsius fidem.

2.<sup>o</sup> Actus fidei et evidens de eadem re in eodem intellectu nullam important oppositionem exclusivam, nec superfluitatem. Ergo nulla est ratio ad eorum possibilem simultaneitatem negandam. Prob. *antec.* quoad primum, nam quamvis evidentia ex una parte rapiat intellectum ad assensum evidentem, ex altera nec destruit motivum obscurum fidei intellectui praefulgens, nec ligat voluntatem, ut haec non possit praecise propter motivum fidei intellectui praesens, assensum fidei imperare. Ergo... Quoad secundum prob. quia actus fidei et evidens circa eandem rem mutuo se excedunt in perfectione, ita ut melius rem cognoscat qui fide et evidentia, quam qui sola fide vel sola evidentia eam perspiciat. Actus enim fidei superat evidentem in certitudine, actus vero evidens actum fidei in evidentia; uterque intellectui inservit etiam in praesentia alterius, cum unus ei tribuat plus certitudinis, alter plus claritatis: ergo intellectus habens actum evidentem de re aliqua potest a revelatione divina moveri ad eandem fidei divinam credendam, ut eo magis certior evadat; et e contra habens actum fidei de re aliqua potest ab ejusdem rei evidentia moveri ut clare eam cognoscat.

60. Obj. 1.<sup>o</sup> Textus Pauli ad Hebraeos (1): *Accedentem ad Deum...* potest interpretari de existentia Dei ut est principium et finis supernaturalis ordinis. Ergo...

Resp. Cum Lugone (2) neg. *antec.* rejicitur enim haec interpretatio ipsis verbis Apostoli, qui duo proponit fidei divinae necessario credenda ante justificationem, scilicet et Deum esse, et esse remuneratorem; qui autem solum dicit Deum esse, nihil adhuc dicit de remuneratione supernaturali; aliunde ipsi auctores contrariae sen-

(1) XI, 6.—(2) D. 2, n. 62.

tentiae concedunt rudes habere fidem de Dei existentia ut simpliciter est, sed objectum fidei idem est pro omnibus; ergo etiam pro sapientibus verba Pauli de existentia Dei ut simpliciter est intelligenda sunt.

Obj. 2.<sup>o</sup> Paulus vocat fidem (1) *argumentum non apparentium*. Eum imitantur SS. Patres ut Augustinus (2) qui ait: «Fides quod non videt credit; nam si videt non est fides.» S. Gregorius in l. c. a D. Thoma supra (n. 58, prob. 1.<sup>o</sup>) ait de S. Thoma apostolo: «Dum ergo vidit Thomas, dum palpavit, cur ei dicitur: *Quia vidisti me credidisti?* Sed aliud vidit, aliud credidit. A mortali quippe homine divinitas videri non potuit. Hominem ergo vidit, et Deum confessus est.» Ergo...

Resp. Paulus et Patres vocant fidem *argumentum non apparentium*, rei non visae, etc., formaliter ratione objecti formalis fidei; conc. Exclusive et concomitanter, ita ut non patiatur secum aliud motivum rem evidentem faciens; neg. Etiam dici potest Paulum et Patres tradere fidem esse rerum non apparentium, ampliative seu ex majori parte; conc. Exclusive, ut nullum sit objectum materiale aliunde apparens; neg. In fide enim multa et praecipua captum rationis humanae excedunt, imo ea ipsa, quae vim naturalem rationis non superant a paucis naturaliter cognoscuntur; unde fit, fidem in multis, quae docet et in pluribus hominibus, qui eam profitentur, esse rerum non apparentium; hinc ampliative et ex majori parte dicitur *non apparentium*, licet aliqua, quae apparent etiam attingat (3).

Jam ad exemplum S. Thomae apostoli prout exponitur a S. Gregorio responderi potest:—1.<sup>o</sup> Aliud vidit, aliud credidit saltem simul in diversis objectis; conc. exclusive, ita ut etiam quod videbat non crederet simul, vel saltem non posset credere; neg. Ratio est quia Patres voluerunt ostendere, ait Platelli (4), quomodo Christi verba: *quia vidisti me Thoma, credidisti*, possint verificari etiam supposita impossibilitate fidei cum assensu evidenti circa idem; an re vera detur talis repugnantia est quaestio, quam expresse non determinarunt.—2.<sup>o</sup> Concedendo id quod dicit S. Gregorius et neg. *conseq.* Etenim Patres excludunt a fide S. Thomae non *vidisti*, sed *quia vidisti*; siquidem S. Thomas per visionem humanitatis redivivae tamquam per motivum credibilitatis inductus fuit ad credendum Christum esse Deum, idque fide, tamquam objecto formali nitente solo testimonio, quo Christus ante mortem hoc saepius de seipso testatus fuerat. Quare optime advertit Lugone (5) verba Christi ad S. Thomam (6): *Beati qui non viderunt, et crediderunt*, «non significare assensum S. Thomae, eo quod fundatur in visione, aliquo modo non fuisse fidem, sed solum significare ex hoc capite excellentiorem fuisse, vel futuram fidem eorum, qui non desiderata propria visione illius speciei (Christi) externa, credunt Christi resurrectionem per alios sibi sufficienter propositam.»

(1) Hebrae, XI, 1.—(2) *Tract.* 68 in Joann.—(3) Vid. Lugonem. D. 2, n. 98.—(4) Synop. De fide, n. 71.—(5) D. 2, n. 102. De fide.—(6) Joann. XX, 29.